



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-537260-p0001-6

DFG



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-537260-p0002-2

DFG

12961.

JUVANTE SUPREMO  
NUMINE  
PROBLEMA  
DE  
**HOMINIBUS**  
STIGMATE QUONDAM  
INSIGNITIS

*Benevolo Amplissimi Philosophorum  
Ordinis permisso,*

Prioris pro Loco disputationis vice;

publicæ placidæque συζητήσει proponit

**M. JOHANNES MOEBIUS,**  
Martisburgensis, S.S. Theol. Cultor

D. 27. Augusti Anni M. DC. LXXXVII.

H. L. Q. C.

---

LIPSIAE,  
Typis CHRISTOPHORI GÜNTHERI.

57.



OMNIS RERUM STYLUS VULGARIS  
V I R O  
*Magnifico, Summè Reverendo, Amplissimo,  
atque Excellentissimo*

Dn. VALENTINO SITTIGIO,  
Hæreditario in Dorrenberg & Ostrau;

S.S. Theol. Doctori Celeberrimo, Serenissimo Duci Saxoniæ, Postulato Administratori Episcopatus Martisburgensis à Concionibus & Confessionibus Sacris, Consistorii Assessori longè Gravissimo, & Ecclesiæ Martisburgensis ut & Vicinarum Superintendenti Vigilantissimo,

*Domino meo, Patrono & Summo studiorum Promotori cum  
observantia etatem Colendo,*


Hoc leve dissertationis genus

Testando cultui & venerationi  
consecro,

Magnifici ejus Nominis sincerus  
Cultor & Admirator

M. JOH. MOEBIUS.





## I. N. I.

**N**arrat Hospinianus de Origine Monachatus lib. 6. cap. 13. fol. m. 437. & 438., Pontificios celebrare quendam Franciscum, Ordinis Franciscanorum autorem, qui in ecstasi cum Christo commissus, stigmata reportaverit, imò tot plagas & cicatrices, quot postea inflictæ fuerint Servatori ipsi, cum traderetur in carnificinam impiam exquisitissimis cruciatibus necandus. Latè persequitur fabulam Scriptor citatus, à nobis tamen jure optimo omittendam, cum quæ urgere potuisset ejus descriptionem, causa se nulla nobis ostenderet. Id potius suadet propositi ratio, ut quod titulus præfert, argumentum has paginas impleat, resectis, quæ inutilia videntur, ac nihil omnino ad rhombum. Igitur, quod olim teste Brissonio de Formulis & Solennibus Populi Romani verbis libr. 1. p. m. 11. & 12. cum magistratus rem divinam facerent, vel captarent auspicia, præco admonitus, ut adverterent mentes, & in præsentem rem omnes animi cogitationes intenderent, inclamabat : HOC AGE ; id & nobis in re dissimili hac vice dictum putabimus. Christe fave cœptis !

## OBSERVATIONIS. I.

Πιττάνιον.

**E**tymologia vocis stigma. Equis stigmata inusta. Coppatias hujusmodi aliquis dictus. Thraces stigmate insigniti. Barbari alii. Syri. Thebani à Persis notati. Peculiariter Histri servus. Xerxis fatuitas notata.

§. I.

**O**rdimur à nominis evolutione. Sicut enim ubique sectari inanes vocum etymologias in vitio verius quam laude po-

A 2

nendum

nendum, ita repudiare prorsus, etiam ubi summa eas flagitet necessitas, ad temeritatem jure interpreteris. Frustra enim contemnuntur pro parvis, sine quibus ad majora progressus non datur. Supplem. Curt. lib. i. c. 2.

§. 2. Stigma ergo à σίγῳ pungo deflexum, signare propriè notam pungendo factam, affirmamus, præeunte Martinio in Lex. Philolog. sub hac voce. Proprium dum damus significatum vocis, una monemus, generalem partim, partim specialem id nominis præstare acceptioem. Generalis haud dubie animo volvenda, quando Bartius Adversar. libr. 35. cap. 4. fol. m. 1593. pro quavis nota usurpare hanc notionem ait Christianos Poëtas. Verùm hoc loco nobis speciali ratione eo nomine venit, tūm litera una tūm plures, quin & alius aliquis character, hominum quorundam olim vel fronti, vel manibus, vel alii corporis parti, certo quodam instrumento impressus.

§. 3. De hominibus nos acturos & diximus, & titulus loquitur. Cæteroquin & equis stigmata inuri solere, tralatitium est, ac jam olim inusta, scimus Aristophane edociti, qui in Nubibus act. i. scen. 1. v. 23. Coppatiam equum eò nominat, quòd esset ei incisa certi figura numeri. Verba hæc sunt:

Οτ' ἐπεράμην τὸν Κοπωατίαν, οἷμι τέλας.

Cum Coppatiam emerem, heu mihi.

Coppa enim est numeri figura, compacta ex x &c.; hoc modo 5: signat autem nonaginta: etiamsi Coppatiam quidam interpretati sunt quasi Kόπτον, quod est ungula terram excavans. Vero proprius est ab insignibus ita nuncupatum: quæ ratio etiam Bucephalus fecit. Hæc ex Scholio vetere græco Aristophani adjecto fol. m. 123. Et confer Cœli Rhodig. Lect. Antiq. lib. 8. cap. 31. fol. m. 336. qui præter ea isto loco annotavit, Corinthiorum Regem, Sisyphum, animalium ungulis monogrammaton suum nomen inscripsisse, ut furto intercepta eo repeteret argumento. Sed ab equorum ut & aliarum animantium contemplatione decrevimus abstinere. Quare postquam reseravimus mentem, jam illi quos diximus, homines sistendi.

§. 4. A Thracibus ducemus initium, de quibus hæc fatur Herodotus libr. 5. qui inscribitur Terpsichore fol. m. 331. non procul initio:

initio : Τῶν Ἰάλλων Θρησκίων ἔτι ὅδε νόμος. πωλεῖσθαι τὰ τέκνα ἐπ' ἔχαγωγῇ. Καὶ τὸ μὴ ὅπερ ἔνγενες κένερται τὸ δ' ἀσικτον, ἀγενές, reliquis Thracibus hic mos est : liberos in mercato venundant. Punctas notis esse frontes nobile judicatur : at non esse notatas punctis, ignobile. Qui locus facem allucet loco Ciceronis lib. 2. de Officiis §. 25. fol. m. 500. quid? Alexandrum Pheraeum quo animo vixisse arbitramur, qui (ut scriptum legimus) cum uxorem Theben admodum diligeret, tamen ad eam ex epulis in cubiculum veniens, barbarum & eum quidem, ut scriptum est, compunctum notis Threiciis, districto gladio jubebat anteire; præmittebatq; de stipatoribus suis, qui perscrutarentur arcuas muliebres, & ne quod in vestimentis occultaretur telum, exquirerent. O miserum, qui fideliorem & barbarum & stigmaticum putaret, quam conjugem.

§. 5. De Barbaris aliis audiamus Plinium Hist. Nat. lib. 22. c. 1. p. m. 751. Barbarorum fœmina, maresque etiam apud Dacos & Sarmatas, corpora sua inscribunt. In quæ verba Salmasius, apud Hackios pag. cit. σίγουρται, inquit, inde inscripti oī σιγματίαι.

§. 6. Syrorum morem his exprimit verbis Lucianus in Syria Dea tom. 3. Opp. p. m. 736 σίγουρται ἢ πάντες οἱ μὴ ἐσ παρπάται, οἱ δὲ ἐσ αὐχένας. Καὶ διπο τῷ ἀπαντες Ασύριοι σιγματη Φορέσσι, certis autem notis compunguntur omnes, (Syri) alii quidem in vola manus, alii autem in cervice. Et inde est, quod cuncti Assyrii notas inustas habeant.

§. 7. A Persis compunctos fuisse Thebanos, autor Herodotus lib. 7. s. Polymnia fol. m. 524 : ὡς γδὲ αὐτὸς ἔλαθον οἱ Βαρβαροὶ ἐλθόντας, τὸς μὴ τινας αὐτῶν ηδὲ απέκτεναν ωργούντας, τὸς ἢ πλεῦνας αὐτέων κελέυσαντο. Ξέρξεω, ἐτίζον σιγματα βασιλῆια, δεξάμενοι διπο τοι γε λεοντιάδεω, nam Barbari, qui eos cepere, aliquot ut accedebant, obtruncaverunt : pluribus jussu Xerxis regias notas inusserunt, à Duce Leontiade exorsi. Gesta hæc esse in bello Persarum cum Thebanis, è contextu oppidò clarum.

§. 8. Peculiare fuit, quod accidisse Histiai servo, idem perhibet Herodotus libr. 5. s. Terpsich. fol. m. 342 : Συνέπιπτε γδὲ τὸν ἐπιγμόν τὴν κεφαλὴν ἀπίχθαι σκηνήσεων τοῖς Ισιαις, σημαίνονται ἀπίσαδαι Αρισαγόρην διπο βασιλῆο. Ο γδὲ Ισιαιο βαλόμην τῷ Αρισαγόρῃ σημῆναι διποτῆναι, ἄλλως μὴ εἰδαμώς εἶχε ασφαλέως

σημῆναι, ὅτε Φυλακομηνέων τῶν ὁδῶν ὁ Ἰ τῶν δάλων τὸν πιστότερον  
διοξυγήσας τὴν νεφαλίν, ἔτιξε, οὐδὲ ανέμενε ἀναφῦναι τὰς τρίχας.  
ώς ἡ ἀνέφυσαν, τάχιστα ἀπέπεμπε ἐς Μίλητον, συτελάμψθεντος ἀντῷ  
ἄλλο μὲν χρόνον ἐπεὰν ἤτοι ἀπίηται ἐς Μίλητον, οὐδένειν Αρισταγόρην  
ξυρησαντά μιν τὰς τρίχας πατιδέσθη ἐς τὴν νεφαλίν. Τὰ δὲ σύγμα-  
τα ἐστήμαντε δόπος ατόν, contigit vero è Susis ab Histiaeο venire quen-  
dam compuncto notis capite, quibus Histiaeus Aristagoram commonefa-  
ciebat, ut à Rege deficeret. Id namque volens Histiaeus Aristagorα in-  
dicare, quia alia ratione facere non poterat, utpote itineribus custo-  
ditis, fidelissimo è servis caput erasit, literasque impressit, & homi-  
nem retinens, quoad capilli renascentur: ubi illi renati sunt, ra-  
ptissimè dimisit Miletum, nihil aliud mandans, nisi ut cum Miletum  
pervenisset, juberet Aristagoram eraso suo capite inspicere. Ea autem  
stigmata significabant defectionem. Recitat eandem historiam quoque  
Gellius Noct. Attic. lib. 17. c. 9.

§. 9. Indignam Rege dementiam sapit jussum illud insi-  
pidum Xerxis, cuius itidem Herodotus testis libr. 7. s. Polymn. fol.  
m. 452: ώς δὲ ἐπύθετο Ξέρξης, δεναὶ ποιέυμαρθεν, τὸν Ελλήσαντον ἐκέ-  
λευσε τριηνοσίας ἀπίνεσθη μαῖνγι πληγαῖς, οὐδὲ πατεῖναι ἐς τὸ πέλα-  
γος πεδέων ζεῦγθε. ἥδη δὲ ἡνίκα, ώς καὶ μαῖνγέας ἄμα τότοισι  
ἀπέπεμψε σιζοντας τὸν Ελλήσαντον. ἐνετέλλετο δὴ ὧν ῥαπίζοντας, λέ-  
γεν Βάρβαροι τε καὶ ἀτάθαλα, ὡς πυρὸν ὑδωρ καὶ ἀλμυρὸν, δεσμό-  
της τοι δικην ὑπιτιθει τήνδε, ὅτι μιν ἥδικης ας χρόνον ἐκείνον  
πάθον, quod cum audisset Xerxes, indignè ferens, jussit trecenta Hel-  
lesponto verbera infligi, & in ejus pelagus par compedium mitti. Jam  
vero audivi, misisse quoque cum his etiam, qui stigmata Hellesponto  
inurerent. Certè mandavit ut colaphos Hellesponto incuterent, dicen-  
tes barbara verba ac vesana, ὡς aqua amara, dominus hanc tibi irro-  
gat pœnam, quod eum læsisti, qui de te nihil male meritus erat. Idem  
suo testimonio confirmat, & addit adhuc aliquid de monte Plu-  
tarcbus in libro τοῦ οἰογυνίας s. de ira cohibenda tom. 2. Opp. fol. m. 455.  
οἱ δὲ Ξέρξης καὶ τῇ Θαλάτῃ σύγματα οὐδὲ πληγαῖς ἐνέβαλλε, οὐδὲ τοὺς  
τοῦ ὄρος ἐξέπεμπεν ἐπιτολάς. Αἴθω δαιμόνιε δρανομήκη, μὴ ποιεῖν  
ἔμοις ἔργοις λίθους μεγάλους οὐδὲ δυσπατεργάτους εἰδὲ μὴ τεμῶν ρίψω  
σεαυτὸν εἰς τὴν θάλασσαν, Xerxes autem & mari stigmata ac verbe-  
ra ingessit, & ad montem epistolam misit: Atho divine, cælum tangens  
vertice,

vertice, noli meis operibus lapides facere magnos & intractabiles: alio-  
qui te excisum in mare deturbabo. Manifestat adhuc aliud vesaniae  
argumentum Juvenalis, sed de eo, quod literis consignarunt He-  
rodotus & Plutarchus, quasi subdubie, Satyr. 10. v. 179. 180. seqq.  
sic canit:

Ille tamen qualis rediit Salamine relicta,  
In Corum atque Eurum solitus sevire flagellis  
Barbarus, Aeolio nunquam hoc in carcere passos,  
Ipsum compedibus qui vinxerat Ennosigeum.  
Mitius id sanè, quod non & stigmate dignum  
Credidit. ---

At vero credidit, si Herodoto & Plutarcho credimus, & cur non  
credamus, hactenus nullam licuit comminisci causam. Taxat  
hanc Regis amentiam Seneca de Constantia Sapientis cap. 4. p. m.  
395: quid tu putas, cum solidus ille Rex multitudine telorum diem ob-  
scurasset, ullam sagittam in Solem incidisse, aut demissis in profundum  
catenis Neptunum potuisse contingi? Ita & Reges suus habet error,  
& saepe etiam Illustres vitiat macula, sed tanto plerumque in se con-  
spectior, quanto qui exorbitat, major.

## OBSERVATIONIS. II.

πτεράνιον.

Attagas varius quis? Phocylidæ præceptum de servis. Lex  
Platonis de iisdem. Nicanor Σιγματίας dictus. Athenienses sti-  
gmata compuncti à Syracusanis, à Samiis. Atheniensium decreta  
in Samios. Antii restionis servus stigmatus. Alius ad equestrem  
dignitatem levatus. Servi ruricola. Pistrinenses. Fugitiui. Dicti  
Literati. Subverbusti. Inscripti. Inscripta ergastula. Istriani.  
Cælati. Rabulæ quoque notati. Alii honesti ordinis. Milites.  
Fabricenses. Aquarii. Ad metallum vel lu-  
dum damnati.

§. 1. Fugitiui signati mentionem injicit Aristophanes in A-  
vibus Πηγέμοναί σίχων 15. v. 8. & 9.  
Εἰ δὲ τυγχάνει τὶς ἡμῶν δραπέτης Πηγμένος,  
Ατλαγᾶς ἐτῷ παρ' ἡμῖν ποικίλῳ κεκλήσεται.

Statt-

*Si autem contingit aliquis nostrum fugitivus signatus,  
Attagas hic apud nos varius vocabitur.*

§. 2. Phocylidæ ætate non infrequenter servos hujusmodi stigmate notatos, facit ut credamus in Sententiis ejus v. 214.

*Στίγματα μὴ χειρόψης ἐπονειδίζων θεράποντα.*

*Notas ne seruo inuras, contumelia ipsum afficiens.*

Actulit de his ut & aliis Plato lib. 9. de Legibus fol. m. 923. hanc legem: ὃς δ' ἀν iεροσυλῶν ληφθῆ, εὰν μὲν οὐ δέλθη ἔνθε, τὸν περσάπω καὶ τὰς χερσὶ χειροῖς τὴν συμφορὰν. οὐ ματιγωθεὶς ὅπόσας ἀνδρὶ τοῖς διμασάς, ἐκτὸς τῶν ὄρων τῆς χώρας γυμνὸς ἀνθίζεται, qui reprehensus in sacrilegio fuerit, si servus peregrinusve erit, in facie ac manibus calamitate ipsius literis inusta, verberatus, prout iudicibus videbitur, nudus extra fines pellatur. Σηγματίς cognomen hujusmodi seruo ex quodam Luciani loco vindicat Brodæus Miscellan. lib. 4. cap. 24. apud Gruterum Thesaur. Crit. tom. 2. p. m. 524. Ubi obiter illud inspergere visum, Nicanorem, Grammaticum Alexandrinum, Σηγματίαν quondam cognominatum, non quod aliquando servitutem subierit, sed quod inter alia librum condiderit τέξις σηγμῶν, hoc est, de punctis, indice post Cœl. Rhodiginum, Vossio de Historicis Græcis lib. 2. cap. 12. p. m. 221. Sed qualia fuerint puncta, in quibus describendis versatus Nicanor, expedit Cœlius Rhod. Lect. Antiq. lib. 8. c. 31. fol. m. 336. distinctiones fuisse, quibus utimur in scribendo, dicitans.

§. 3. A servis transimus ad alios. Quo furore Syracusani sacerdierint in Athenienses, docet Plutarchus in Nicia tom. 1. Opp. fol. m. 542: ὧν ὁλίγοι δὲ ἐπειδήσαν, διαιλαπέντες οὐ καὶ διαιλαζόντες, ὡς οἰκέται. οὐ τετταὶ οἰκέταις ἐπώλευν, σίζοντες ἵπων εἰς τὸ μέτωπον, non pauci venundati sunt, surrepti utut latitantes, tanquam servi. Et hos sicut servos distraxerunt, equo in fronte compunctos. Descripto nempe in verbis superioribus bello Syracusanorum cum Atheniensibus, hīc commemorat Plutarchus, quām inclementer Syracusani cedente ipsis victoria, Athenienses tractarint.

§. 4. Eandem hos experiri sortis asperitatem coegerunt Samii, attestante eodem Plutarcho, in Pericle tom. 1. Opp. fol. m. 166, οἱ ἸΣάμιοι τὰς αἰχμανάττες τῶν Αθηναίων αἰνιζείζοντες, ἔσιζον εἰς τὸ μέτωπον γλαῦκας. Καὶ γάρ ἐκείνοις οἱ Αθηναῖοι σάμιαναν, η δὲ σάμια

μανια ναῦς ὅτιν οὐσίας μὲν τὸ σύμωμα, κοιλοτέρῳ δὲ καὶ γα-  
στροειδῆς, ὡς τε καὶ ποντοπορεῖν, καὶ ταχυναυτεῖν. Υπὸ δὲ ὀνομάσθη οὐδὲ  
τὸ πεῖστον ἐν Σάμῳ Φανῆναι, Πολυνεργέτες τυράννοις κατασκευάσα-  
το. Πρέστι ταῦτα τὰ σίγυμα τὰ λέγοντα καὶ τὸν Αριστοφάνειον ἤνιχ-  
θαι, Σαμίων ὁ δημός ὅτιν ὡς πολυγερμματός, captivorum Athe-  
niensium Samii reddita contumelia, frontem inscriperunt noctua; ut  
ipsorum frontem ante Athenienses Samena. Est Samena navis prora  
demissa, concava autem magis & ventricosa, ut ad mare commodior  
& agilior sit. Nomen hoc obtinuit, quod in Samo primò uisa sit, à ty-  
ranno parata Polycrate. Ad hæc stigmata ajunt Aristophanem obscurè  
allusisse; Samii periti literis quamplurimum.

§. 5. Decretum ex adverso Atheniensium de Samiis hoc memo-  
rat Ælianuſ Variæ Histor. lib. 2. cap. 9. p. m. 30: οἵα ἐψηφίσαντο Α-  
θηναῖοι, καὶ ταῦτα ἐν δημοκρατίᾳ. Αἰγιλιητῶν μὲν ἐπάεις τὸν μέγαν  
ἀποκόψα τῆς χειρὸς δάκτυλον τῆς δεξιᾶς, ἵνα δόξῃ μὲν βασάζειν μὴ  
δύνωνται, κώπην δὲ ἐλάσσουν δύνωνται. Μιτυληναῖς δὲ ἐβνδὸν ἀπο-  
σφάξαντα. Καὶ τοῦτο ἐψηφίσαντο εἰσηγησαμένοις Κλέωνος. Τότε γε μὲν  
ἄλισκομένοις αὐχμαλώτες Σαμίων σίζειν καὶ τὸν περσώπη, καὶ εἶναι τὸ  
σίγυμα γλαῦκα, καὶ τοῦτο ἀττικὸν ψήφισμα. Ων ἐβολόμην δὲ αὐτὰ,  
ὅτε Αθηναῖοι κενυρῶσθαι, τὸν τοῦτον Αθηναίων λέγεσθαι, ὡς πολιάς Αἴγι-  
νας, καὶ ἐλευθέρεια ζεῦ, que vero dii boni! decreverunt Athenienses,  
idque in democratiâ? Αἰγινηταρum unicuique pollicem è manu dextra  
rescindi, ut hastam ferre non possent, remos vero abducere possent.  
Mitylenensium vero omnem juventutem occidi; idque decretum factum  
est autore Cleone. Captivos vero Samiorum notis in facie notari & inuri,  
que noctuam referrent: quod ipsum etiam Atticum erat decretum. Hæc  
vero ourbana Minerva, & Jupiter Eleutherie, utinam neque Athenis  
statuta essent, neque de Atheniensibus dicerentur.

§. 6. Deveniendum ad Romanos, quos non minus atque  
alios stigmata hujusmodi inscriptissime suis, frequens prodit historia.  
De servis res infinitis ferè patet indiciis.

§. 7. Antii Restionis servum producit Valerius Maximus lib.  
6. cap. 8: Antius Restio proscriptus a Triumviris cum omnes domesti-  
cos circarapinam & prædam occupatos videret, quād maximè pote-  
rat, dissimulata fuga se penatibus suis intempesta nocte subduxit. Cu-  
jus furtivum egressum servus ab eo vinculorum pena coercitus, inex-  
piabili-

piabilique literarum nota per summam oris contumeliam iniustus &c. la-  
teri voluntarius comes adrepit.

§. 8. In alium à servili conditione ad equestrem dignitatem.  
evectum, hanc exercet censuram Poëta Bilbilitanus lib. 2. Epigr.  
29. ad Ruffum:

Rufe, vides illum subsellia prima terentem,  
Cujus & hinc lucet Sardonychatamanus:  
Quaque Tyron toties epotavere lacerna,  
Et togan non tactas vincere jussa nives:  
Cujus olet toto pinguis coma Marceliano,  
Et splendent vulso brachia trita pilo;  
Non hesterna sedet lunata lingula planta,  
Coccina non læsum cingit aluta pedem;  
Et numerosa linunt stellantem splenia frontem,  
Ignoras quis sit? splenia tolle leges.

Lucem accendet his versibus Schrevelius Comment. in h. l. p. m. 121.

§. 9. De servis ruricolis tractat Plinius Hist. Nat. lib. 18. cap. 3.  
p. m. 412: ipsorum tunc manibus Imperatorum colebantur agri, gauden-  
te terra vomere laureato, & triumphali aratore, &c. at nunc eadem  
illa vincti pedes, damnata manus, inscripti vultus exercent.

§. 10. De servis pistrinensibus Apulejus Metamorph. lib. 9.  
p. m. 222: dii boni, quales illi homunculi, vibicibus livedinis totam cu-  
tem depicti, dorsumque plagosum scissili centunculo magis inumbrati  
quam obiecti, nonnulli exiguo tegili pubem tantummodo intecti, cuncti  
tamen sic tunicati, ut essent per pannulos manifesti, frontes literati, &  
capillum semirasi, & pedes anulati.

§. 11. His addendi & fugitiivi, quorum epigrammati tan-  
quam noti alicujus meminit Petronius Arbiter in Satyrico p. m. 125.  
Sic enim ibi: implevit Eumolpus frontes utriusque ingentibus literis,  
& notum fugitivorum epigramma per totam faciem liberali manu du-  
xit. Quod quale fuerit, solicite exquirit Laurentius Pignorius  
Commentar. de Servis p. m. 20. & 21. Nec parcit operæ Lipsius Elect.  
lib. 2. cap. 15. p. m. 805. Dispari tamen uterque successu tentat aleam.  
Integre sibi patere Petronium Lipsius autumat: Pignorius contra  
circa hunc fertur dubius, certæ expositionis ignarus, imo tam per-  
plexè loquens, ut ne divinandi quidem ejus mentem detur facultas.

Ut-

Utcunque vero res se habeat, incurrisse hanc pœnam fugitivos,  
præter Petronium, epigrammate 15. in servum quendam librarium.  
sed fugitivum luso, adstruit Ausonius:

Tam segnis scriptor, quam latus Pergame cursor  
Fugisti, & primo captus es in stadio.  
Ergo notas scripto tolerasti Pergame vultu,  
Et quas neglexit dextera, frons patitur.

Et epigramm. 16:

Pergame, non recte punitus, fronte subisti  
Supplicium, latae quod meruere manus.  
At tu qui dominus peccantia membra coerces:  
Injustum falsos excruciare reos.  
Aut inscribe istam, que non vult scribere dextram,  
Aut profugos ferri pondere nocte pedes.

§. 12. Literatos nuncupat hujusmodi homines Plautus *Casus*.

act. 2. scen. 6. v. 49.

OL. Si hic literatus me finat.

Confer Taubmanni Commentar. in b. l. fol. m. 390. Ad hujus imitacionem usum hac voce Apulejum loco supra §. 10. allegato, opinatur Salmuth Not. in Pancirolli Rer. Memorab. lib. 2. c. 2. p. m. 180.

§. 13. Idem Comicus frontibus horum accommodat subverbusti vocabulum, in Fragmentis v. 22. p. m. 1482.

Ulcerosam, compeditam, subverbustum, sordidam.

Plautus subverbustos vocat τὰς στρυγατίας, quia notis inurebantur, inquit Taubmannus Comment. in b. l. fol. m. 1485. Hos designare putant & hæc Tertullianus lib. de Pallio cap. 4. p. m. 23. ed. Salmas: enim vero jamdudum censoriae intentionis epischyntio disperso, quantum denotavi, passivitas offert, libertinos in equestribus, subverbustos in liberalibus. Sunt igitur subverbusti iidem hoc loco, qui stigmatici. Ita explicant hanc vocem Salmasius in Notis ad Tertull. l. de Pallio p. m. 306, & Salmuth Annotat. in Panciroll. Rer. Mem. lib. 2. cap. 2. p. m. 183. Sed de etymo vocis, mirum quantus dissensus. Turnebus Adversar. lib. 14. cap. 1. fol. m. 407, τὸ subverbustum dicit quasi sub verberibus ustum, licentia comica vocabulum è multis habens conflatum. Salmasius contra loc. cit. subverbustum ab antiquo verber aut verbus derivat, quomodo à robur deducitur robustus, &

tandem falluntur, ait, qui verbustum quasi verberibus ustum interpretantur: verbustus propriè est verbero & mastigia. Vicissim Festus apud Taubmannum Comment. in Plaut. p. 1485. subverbustum quasi veribus ustum, sive adeo, ut loquitur, subvervustum exponit. Cum quo amicè conspirat Salmuth. Annotat. in Panciroll. p.c. contrariam Turnebi sententiani suo calculo defraudans. Sed de hoc videant Grammaticorum filii, quibus libet, & otium suppetit. Nobis enim properandum ad alia, in aliud quidvis potius, quam in exactas vocum etymologias intentis.

§. 14. Inscriptos hujus farinæ homines appellat Martialis lib. 8. Epigram. 75. v. 9. & 10:

*Quattuor inscripti portabant vile cadaver,*

*Accipit infelix qualia mille rogus.*

Ad quæ verba Schrevel. Comment. p.m. 473: inscripti, servi stigmatæ, literis inusti, literati vespillones.

§. 15. Inscripta ergastula nominat Juvenalis Satyr. 14. vers. 24. & 25.

*Quid suadet juveni latus stridore catena,  
Quem mirè afficiunt inscripta ergastula, carcer,  
Rusticus?*

Inscripta ergastula, i. e. servi in ergastulis, qui frontes notis inscriptas gerunt, interprete Kippingio Antiq. Roman. lib. 4. cap. 1. p. m. 567.

§. 16. Istrianos vocatos esse, eò quod Istri accolis hujusmodi notæ inurerentur, contendit Pontanus Bellar. Attic. Syntag. 4. lib. 1. p. m. 145.

§. 17. Cælatos quoque salutatos, observavit Cælius Rhodiginus Lect. Antiq. l. 8. c. 31. fol. m. 336.

§. 18. Sed satis de his. Videamus jam, quid de Vulturiis Togatis seu Rabulis, memoriarum prodiderint non spernendi autores. Cicero in Oratione pro Roscio Amerino §. 57. fol. m. 31: si autem sic agitis, ut arguatis aliquem Patrem occidisse, neque dicere possitis, aut quare, aut quomodo, ac tantummodo sine suspicione latrabitis: crura quidem vobis nemo suffringet, sed si ego hos bene novi, literam illam, cui vos usque eò inimici estis, ut etiam omnes oderitis, ita vehementer ad caput affigent, ut postea neminem alium nisi fortunas vestras accusare possitis. Et Plinius junior in Panegyrico Trajano dicit

Et cap. 35: quantum diversitas temporum posset, tum maxime cognitum est, cum iisdem quibus antea cautibus, innocentissimus quisque tunc nocentissimus affigeretur, cumque insulas omnes, quas modo Senatorum jam delatorum turba compleret. Quos quidem non in praesentum, sed in aeternum repressisti, mille pœnarum indagine inclusos. Ereptum alienas pecunias eunt? perdunt, quas habent? expellere penatibus gestiunt? suis exturbentur, neque ut antea exanguem illam & ferream frontem nequicquam convulnrandam prebeant punctis, & notas suas videant; sed spectent paria premio damna. Consule & Rosinum *Antiq. Roman.* lib. 9. cap. 25. fol. m. 1490. Quid fuerit scriptum in frontibus, indagat Turnebus *Adversar. lib. 8. cap. 22. fol. m. 248.* consulens sibi distinctione inter calumniatores & delatores, illis literam C, his D inustam profitens, sed renitente Dempstro *Paralipom. ad Rosini lib. 9. p. m. 1518.* cui litera K se probat, ex lege Rhenania, uti ait, huic hominum generi debita. Distinctionem vero cui inhærebat Turnebus, hic nobis prorsus proponit nullam.

§. 19. Tandem & alios honesti ordinis stigmata ferre coactos, ostendit hic Suetonii locus in *Caligula* cap. 27: servitiam ingenii per hæc maxime ostendit. Multos honesti ordinis deformatos prius stigmatum notis ad metalla, aut ad viarum munitiones, aut ad bestias condemnavit, aut bestiarum more quadrupedes cavea coercuit, aut medios serra dissecuit. Vide quæ afferat in hunc locum Petrus Faber *L. 2. Semestrium* cap. 5. p. m. 52.

§. 20. Descendendum ad tempora sequiora. Sistunt hæc nobis Milites, sistunt Fabricenses, sistunt Aquarios. De singulis ordine. Præcedant milites, & attendantur, quæ misit in literas de his Vegetius *de Re Militari* lib. 1. cap. 8. p. m. 9. edit. Vesal: sed non statim punctis signorum inscribendus est tyro dilectus, verum ante exercitio prætentandus, ut utrum verè tanto operi aptus sit, possit cognosci. Et lib. 2. cap. 5. p. m. 33: nam victuris in cuto punctis milites scripti, & matriculis inserti jurare solent. Hanc esse genuinam hujus loci electionem afferit & probat Stevvechius *Commentator* p. m. 111. & p. 112. adjicit calculum: certum est milites punctis seu stigmatis signari sole. Quæ cujusmodi fuerint, satetur se ignorare Lipsius *de Militia Romana* lib. 1. dialog. 9. tom. 3. Opp. p. m. 52. suspicatur tamen continuisse nomen Imperatoris. Quam suam suspicionem abiisse

in certam notitiam , lectis his ex Oratione funebri Valentianiano  
scripta : Charactere domini inscribuntur & servuli , & nomine Impe-  
ratoris signantur milites ; lætatur in Analectis libris 5. de Militia ad-  
jectis p. m. 416. Cæterum locum inscriptionis extitisse manum , ex  
Aëtio , Medico , sic inquiete : σίγματα παλλάς τὰ ὅπλα & περσώπες  
η ἀλλαγὴνός μέρες & τῶν ματός εἰσι γε φοινέα , διὰ τὸ σπαθευομένων  
ταῖς χερσίν , stabilit Turnebus Adversar. lib. 24. cap. 12. fol. m. 822;  
& cum eo Lipsius de Militia Romana lib. dial. & pag. ccc.

§. 21. Milites excipient Fabricenses . Hos signandos præci-  
piunt Imperatores in Codice Justinianeo lib. XI. tit. 9. l. 3 : IMPP.  
*ARCADIUS & HONORIUS AA. OSIO MAGISTRO OFFICIORUM.*  
Stigmata , hoc est nota publica Fabricensum brachiis ad imitationem  
tyronum infligantur , ut hoc modo saltem possint latitantes agnoscí , his  
quieos suscepérint , vel eorum liberos sine dubio fabricæ vindicandis ,  
& qui subreptione quadam declinandi operis ad publicæ cujuslibet sacra-  
menta militiae transferunt . Scituro quinam fuerint Fabricenses , re-  
spondet Gujacius Commentar. in b. l. p. m. 291 , fuisse certum corpus ,  
qui in publicis fabricis faciebant arma , hastas , sagittas , loricas , arcus ,  
spatas , ballistas , scuta , clibanos . Brevius ac rotundius Antonius Pe-  
rezius Prælection. ad b. l. p. m. 420 : fuit certum corpus Fabricensum ,  
qui in publicis fabricis seu officinis arma bellica fabricabant , aut mili-  
tibus arma procurabant .

§. 22. Fabricensibus succedant Aquarii , ad quos spectant  
quæ legimus in Codice itidem Justinianeo lib. XI. tit. 42. l. 10: IDEM  
*A PONTIO.* Universos autem aquarios , vel aquarum custodes , quos  
hydropylacas nominant , qui omnium aqueductuum hujus regiae urbis  
custodiæ deputati sunt , singulis manibus eorum felici nomine pietatis  
nostræ impresso , signari decernimus , ut hujusmodi annotatione mani-  
festi sint omnibus , nec à procuratoribus domorum , vel quolibet alio  
ad usus alios avellantur , vel angariarum , vel operarum nomine tene-  
rantur . Quod si quem ex iisdem aquariis mori contigerit , eum nihil  
ominus , qui in locum defuncti subrogatur , signo eodem notari præcipi-  
mus : ut militiæ quodammodo sociati , excubiis aquæ custodienda incer-  
santer inhæreant , nec muneribus aliis occupentur .

§. 23. Exsolvimus promissa , de his tribus hominum ordi-  
nibus , quæ suppeditabant probatorum autorum testimonia , alla-  
tis .

tis. Antequam pergamus ad alia, hīc inseremus ē Codice Theodosiano locum, unde constet, fuisse hos etiam, quos ad metallum vel ludum damnavit severa judicis vox, stigmate deformatos. Est vero hujusmodi tom. 3. Cod. Theod. lib. 9. tit. 40. l. 2 : *Si quis in ludum fuerit vel in metallum, pro criminum deprehensorum qualitate damnatus, minimè in ejus facie scribatur; dum ἐτ in manibus ἐτ in suris possit pœna damnationis una scriptio comprehendendi, quo facies, quæ ad similitudinem pulchritudinis cœlestis est figurata, minimè maculetur.* Digna lectu promit in hunc locum Jacobus Godofredi *Comment.* fol. m. 293. & 294.

### OBSERVATIONIS. III.

πτάνιον.

Pauli locus Ep. ad Gal. c. 6. explicatus. Martyres Ecclesiæ primitivæ stigmate onerati. Apostatæ. Carpocratiani. Opilio & Gaudentius sub Theodorico. Æthiopes. Indiæ incolæ. Galli. Angli.

§. I. Tendentibus ad alia occurrit locus Pauli Apostoli Ep. ad Gal. cap. 6. v. 17. hujus tenoris : *Ἐ λοιπὸς νόπτες μοι μηδὲς παρεχέτω ἐγώ γε τὰ στύματα ἐκ κυρίᾳ Ιησοῦ χριστοῦ τῷ σώματί μοι βασίζω.* Lutherus : *Hinfort mache mir niemand weiter Mühe / dann ich trage die Mahlzeichen des Herrn Jesu an meinem Leibe.* Quæ verba primo intuitu poterant id velle videri, ac si hujusmodi stigmatibus, qualibus onustos hactenus vidimus non paucos, Apostolus quoque conspicuus incessisset. Verum rectene an secus, quod videatur, haberi mereatur in veris, demonstrabunt Commentatores. Excerptemus unum & alterum. Balduinus *Comment. in b. l. p. m. 312.* *stigmata vocat dona, miracula, crucem ac persecutionem suam, quam hactenus perpessus erat.* Calovius Bibl. Illustr. in h. l. fol. m. 640. *stigmata vocat vincula, carceres, cicatrices plagarum, ceu notas scilicet infames, quales servis, barbaris, fugitivis, maleficiis, inurebantur ad infamiam.* Eadem est explicatio Grotii apud eundem fol. cit. & Parei *Comment in Ep. ad Gal. p. m. 440.* Sed & Ravanellum advocabimus

bimus Biblioth. Sacr. part. 2. fol. m. 174. sic differentem : Paulus Gal. 6,17. *stigmata Christi*, vocat *vincula*, *carceres*, *colaphos*, *plagas*, *cicatrices*, *vibices*, & id genus probra, quæ propter nomen Christi sepius perpeccus erat. Huic jungemus Cornelium à Lapide Comment. in h. l. fol. m. 469. Paulus *stigmata Christi* hic vocat *plagas* & *cicatrices*, ex verberibus, vulneribus & afflictionibus propter Christum suscepis, corpori suo impressas, de quibus 2. Cor. XI, 23. Unde ut milites, vexilliferi & capitanei sua vulnera & cicatrices ostentant quasi signa fortitudinis & gloriæ bellicæ : ita ego Paulus hæc *stigmata* quasi tropæam militiæ Christi non tantum habeo, sed porto & ostento. Jungemus & Polium Synops. Critic. tom. 5. fol. m. 698. *stigmata* Paulus vocat res omnes suas adversas, quas religionis ergo pertulit. Similitudinem autem sumpsit à militibus, qui victuris in cœte punctis signabantur. Horum ut videmus, nemo, imo nec alii, quos inspicere licuit, *stigmata* talia, qualia hactenus tribuerunt autores multi multis, Paulo assignant. Quocirca nec nobis hæc opinio temere imbibenda.

§. 2. Magis consona vero, quæ de Martyribus Ecclesiæ primitivæ literis consecrarunt Scriptores probæ monetæ. Pontius, Diaconus in libro de vita Cypriani (quem libellum vocat aureolum Vossius de Historicis Latinis lib. 2. cap. 3. p. m. 181.) operibus B. Martyris in editione Pameliana præfixo : quis livorem de venenatâ invidiæ malignitate venientem dulcedine remedii salutaris inhiberet ? Quis martyras tantos exhortatione divini sermonis erigeret ? Quis denique tot confessores frontium notarum secunda inscriptione signatos & ad exemplum martyrii superstites revocatos incentivo tubæ cœlestis animaret ? Quæ verba isto commentario dignatur Barthius Adversar. lib. 43. cap. 27. fol. m. 1982: ut hæc verba intelligas, sciendum Confessores Christi, à quibusdam Romanorum Praesidibus instar fugitivorum servorum stigmati olim notatos, ut perpetuo videlicet infames haberentur. Sed quid secunda inscriptione sibi vult Pontius ? An binis vicibus hoc pœnæ genere Martyres excruciat tortorum rabies ? Ita videatur prima fronte dici debere, sed aliud inculcat Barthius Polyhistor, Adversar. lib. cap. & fol. ccc, detegens morem ex Hieronymi præfat. i. in librum Jobi, legenda tom. ult. Epist. fol. m. 24. & Comment. in Ezech. cap. 9. fol. m. 404. nec non Prudent. lib. 11. in Symmach. v. m. & 112, signandi frontem signo crucis, primitivæ Ecclesiæ Christianis usurpatum;

patum; ( de quo aliquid etiam Arndius Lexic. Antiquit. Eccles. p. m. 296. & 299, & denuo Barthius in Animadvers. ad Bened. Paullini de vita Martini lib. 1. vers. 17. & 18. p. m. 8. ) atque hoc detecto sic expōnens hunc locum, ut sit secunda inscriptio stigma ignominiosum, post confessionem Martyribus impactum. Sic ope Barthii abscedit loco obscuritas, cui immersus. Jamque res est firmanda exemplis. Martyrologium Romanum Decembr. XXII. p. m. 773. hæc subjicit legenda: *Rome via Lavicana inter duas lauros natalis sanctorum triginta Martyrum, qui omnes una die in persecuzione Diocletiani martyrio coronati sunt.* Ibidem sancti Flaviani, ex prefecti, qui sub Juliano Apostata pro Christo inscriptione damnatus, & ad aquas Taurinas in exilium missus, illic orans Spiritum Deo reddidit. Conferri meretur Cæsar Baronius in b. l. p. m. 773. & 774. Aliud exemplum de Theophane & Theodoro fratribus, eadem perpessis, insinuat Zonaras tom. 3. Annal. fol. m. 147 ed. lat: idem (Imperator Theophilus) fratres Theophanem & Theodorum, utrumq; confessorem ob suam impietatem Prophetarum oraculis & Scripturarum testimonis reprehensam, primum graviter excruciauit. Deinde facies eorum corpunctis, ac notis illis hos jambicos versus atramento infuso expressit:

Cunctis eam urbem visere exceptantibus,  
Purissimi, quam Christi presserunt pedes,  
Totius orbis unde manavit salus:  
Sacro loco isti vasa conspecti improba,  
Superstitionis errore ex incredulo,  
Multisque factis inquinati turpibus,  
Apostata velut rejecti inde procul  
Se contulere mox in urbem regiam:  
Tamen nefanda non relicta amentia  
Notis perusta fronte, more sotium,  
Condemnatique rursus verterunt solum.

Stigmate igitur facies eorum de honestatas disertè autor hic profiteatur. Sed quod de versibus subjungit, id nos de versibus in tabula exaratis accipimus, invitis licet Lipsio, Baronio, ac Pignorio, quos in eum impulit errorem hic Scriptor, ut crederent, vultus Martyrum totos his versiculis obtectos & obductos. Malè. Vide Lipsium Elect. lib. 2. cap. 15. p. m. 805. Baronium Annotat. ad Martyrol. Rom. p. m. 774. Pignorium Comment. de Servis & eorundem apud Veteres ministeriis p. m. 22. Dicas non bene subductis rationibus impetu quodam abre-

C

ptos,

ptos, quibus hæc probatur opinio. Qui enim frons humana capere potuisset tot verba, tot versus? Ergo tabula dicatur comprehendisse has voces, idque eò confidentius, quo crebrius morem hunc quondam frequentatum reperias. Sane vero non desunt exempla, unde queat hujusmodi consuetudo apertissime evinci. Age solici-temus historiam. Suetonius de Caligula in ejus vita cap 32. Romæ pu-blico epulo servum ob detractam lectis argenteam laminam, carnifici confessim tradidit, ut manibus abscissis, atque ante pectus è collo pendentiibus, præcedente titulo, qui causam pœnæ indicaret, per cætus epulan-tium circumduceretur. Idem Suetonius de Domitiano in vita ipsius cap. 10. patrem familiâs, quod Threcem mirmillioni parem, munerario imparem dixerat, detractum è spectaculis in arenam canibus objecit cum hoc titulo: IMPIE LOCUTUS PARMULARIUS. Vide Casauboni Commentar. in b. l. p. m. 573. Quid Attalo Martyri obtigerit, Eusebius Hist. Eccles. lib. 5. cap. 1. fol. m. 162. his verbis enunciat: Καὶ ἀναχθεὶς πύλῳ ἐπιφέρεται, πίνανος ἀντὸν ὁρατοῦσες, τὸν ὡς ἐπεγέγραπτο ρωμαϊστὶ ἔτος ἐστιν Ἀτταλόχριστιανὸς, per amphitheatum circumductus, præcedente ipsum tabella, in qua latino sermone inscrip-tum erat: hic est Attalus Christianus. Quæ sane omnia facile à nobis impetrant, ut & Martyrum huic bigæ, Theophani & Theodoro, vel prælatam vel appensam hujusmodi tabulam credamus. Quid? ipsæ nos círcumstantiæ ad hanc sententiam invitant.

§. 3. Tantum de Martyribus. His subnectemus variarum rerum miscellam. Variarum inquam. Nam sive pœnæ ergo, sive alium ob finem (ut omnino ob varium,) gestarint stigmata homines à nobis jam adducendi, id nobis perinde fuerit, contentis bre-vissimum saltem eorundem texuisse catalogum.

§. 4. Quid quâ insania acti patrârint Apostatae, tempore Philonis Judæi, edisserit ille nobis lib. 1. de Monarchia fol. m. 819. edit. Paris. ἔνιοι δὲ τοσαύτη μέχρηνται μανίας ὑπερβολῆ, ὡς τὸ δὲ ἀναχώ-ρησιν ἐαυτοῖς τῷδες μετάνοιαν δηπολιπόντες, ἵενται τῷδες δελέιαι τὴν κε-ρημήτων, γεάμμασιν ἀντὴν ὄμολογῶντες τοκὸν τὸν χαρπίδιοις ὡς ὅπιτες ἀνδραπόδων ἔθιστοι, ἀλλὰ τοῖς σώμασι πατασίζοντες ἀντὴν σιδήρων πέπυρωμένω, τῷδες ἀνεξάλειπτον Ιλαμονήν τὸ δέ γένοντα παντα-άμαυρεσθνται, quidam vero eò prolapsi sunt insanæ, ut ne redditum qui-dem ad pœnitentiam sibi relinquant, ad cultum simulacrorum præcipi-tes, confirmantes eam servitutem literis non in chartula scriptis, sicut mos est mancipiorum, sed inustis corpori ferro ignito, ne deleri queant postea.

postea. Nam hæ non obscurantur ullo tempore. Nempe solitos Gentiles, si quem sacris suis vellent initiare, certo charactere id præstare, liquet è Prudentiï σεΦάνων sive de Martyrum coronis, hymno 14. contra Gentiles v. 1076. 1077. seqq.

Quid cum sacrandus accipit sphragitidas,  
Acus minutas ingerunt fornacibus,  
His membra pergitur urere, utque igniverint,  
Quamcumque partem corporis fervens nota  
Stigmarit --- --- ---

Quo loco ad demonstrandum hunc ritum, nostrâ quidem opinione, nil melius, nil clarius.

§. 5. Simile hujusmodi aliquid de Carpocratianis exhibit Irenæus adversus Hæreses lib. 1. cap. 24. de Carpocrate & Carpocratianis fol. m. 48: alii vero ex ipsis signant, cauteriantes suos discipulos in posterioribus partibus extantia dextræ auris. Huic pollicem premit Epiphanius tom. 2. Opp. lib. 1. §. 5. fol. m. 106. σΦεργῆδα ἐν Καυτῆρι, ἦ δι οὐτιηδένσεως ξυρίσ, ἥ ραφίδος, θηλιθέασιν ὅτι οἱ καεποκρᾶτοι τὸν δεξιὸν λοβὸν τὰς ὄτας τοῖς ὑπάντων ἀπαλωμόροις: solent vero Carpocratiani, quos ad suam sectam fraudulenter pelleixerint, iis candente ferro, vel novacula, vel acu notam quandam ad imam auri culam imprimere.

§. 6. Theodorico Gothorum Regi non insuetum fuisse hujusmodi stigmate animadvertere in fontes, planum faciunt ea, quæ habet Boëtius de Consolatione Philosophiae lib. 1. pros. 4. p. m. 10. Oplionem atque Gaudentium, cum ob injurias atque multiplices fraudes ire in exilium regia censura decrevisset, cumque illi parere nolentes, sacrarum sese ædium defensione tuerentur, compertumque id Regi foret, edixit, ut nisi infra prescriptum diem Ravenna urbe decederent, notas insigniti frontibus, pellerentur. Fuisse Gaudentium & Oplionem Romanos, indicat Johann. Bernartus Not. ad h. l. p. m. 236. & 237.

§. 7. In rem nostram sunt & ista Alexandri ab Alexandre Dier. Genial. lib. 2. cap. 25. fol. m. 237. Æthiopes ab ipso natali die editos infantes in fronte incurunt, & stigmate notant, quo capit is & oculorum humor exsiccatur. Ex hoc eadem refert totidem verbis Zwingerus Theat. Vit. Hum. vol. 2. lib. 1. fol. m. 271.

§. 8. Quid placeat Indiæ incolis, revelat Marcus Paulus Venetus de Regionibus Orientalibus lib. 3. cap. 43. p. m. 159. Abasia est regio

22

maxima in septem divisa regna , quibus singulis singuli præsunt Reges .  
Et hi omnes sunt Christiani præter tres Saracenos . Christiani crucem auream in fronte gestant , quæ eis in baptismo imprimitur . Saraceni vero habent signum à fronte usq; ad medium naso , sunt etiam illic multi Ju-  
dæi , qui ignito ferro in utraque maxilla signati sunt . Hujus vestigia le-  
gens idem de his scriptum reliquit Gretserus de sancta Cruce tom. 1. l. 2.  
cap. 61. p. m. 484. Quibus apponemus , quæ ex Metello in sua transcri-  
psit alvearia Zwingerus Theat. Vit. Hum. vol. 3. lib. 6. fol. m. 816. Catho-  
lici apud Indos servi Regis , in facie & brachio litera C. impressa candente  
ferro notantur .

§. 9. Desinemus in Christianis . Gallorum morem recludat no-  
bis Langlæus (in Senatu Britanniæ Celticæ Consiliarius) Semestrium  
lib. 10. cap. 2. p. m. 644. constat etiam nunc in Gallia in regi signi adulter-  
ratorem ita animadvertis , ut liliato cauterio , fronti illius nota inuratur ,  
quæ admissi facinoris memoriam , quamdiu superstes is fuerit , interire  
non sinat .

§. 10. Claudant agmen Angli , & audiatur de his Polydo-  
rus Virgilius Historia Anglicæ lib. 26. p. m. 770. & 771. ed. Thys.  
tantum apud Anglos Ordini tribuitur , ut Sacerdoti , etiam de maiestate  
damnato , aliisve sacerdotibus , qui reliquis initiati sint ordinibus , vita con-  
cedatur . Quid ? quod ita usu venit , ut qui legere sciant , cuiusvis  
rei capitalis præter maiestatis crimen damnati eodem loco habeantur ?  
quod per id Ordinis affines censeantur , atque ita salvi in custodiā de-  
trudantur . Iis , ut si casu evaserint , nec spes ulla vite amplius sit , in  
palma manus sinistra sub pollice inuritur homicidis M. litera , quia An-  
glicè murdre homicidium dicitur , furibus vero T. quod fur thefht vo-  
catur : qui sic stigmatæ effecti , si in peccato rursus inventi fuerint ,  
tum meritas illico dant pœnas . Cujus sanè instituti autor fuit ipse  
Rex Henricus VII. in Concilio , quod anno regni secundo habuit , illud  
à Gallis opinor , mutuatus .

Ethæc sunto , de hominibus stigmate insignitis , quæ utut  
exigua videantur , scopo tamen nostro convenient . Et quis post  
Meisnerum & Raynaudum aliquid argumenti sibi relicturn putet ?  
Nostra tamen hæc sunt , utpote quibus aliorum Scripta ostentare  
volupè non est . Palma in medio ; cuique licet  
meliora conari .

SOLI DEO GLORIA !

**ULB Halle**  
003 004 007


3



56.

KD7





**FarbKarte #13**

	Black	3/Color	White	Magenta	Red	Yellow	Green	Cyan	Blue
Centimetres	19	18	17	16	15	14	13	12	11
Inches	7.5	6.7	6.0	5.4	4.8	4.2	3.6	3.0	2.5
B.I.G.									

12961.

JUVANTE SUPREMO  
NUMINE

PROBLEMA  
DE

# HOMINIBUS STIGMATE QUONDAM INSIGNITIS

1682, 12

14

*Benevolo Amplissimi Philosophorum  
Ordinis permisso,*

Prioris pro Loco disputationis vice,

publicæ placidæque συζητήσει proponit

**M. JOHANNES MOEBIUS,**  
Martisburgensis, S. S. Theol. Cultor

D. 27. Augusti Anni M. DC. LXXXVII.  
H. L. Q. C.

---

LIPSIAE,  
Typis CHRISTOPHORI GÜNTHERI.

57.

